



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

IX. Christus Fideiussor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

Christus orat, impleri necesse est: cuius sermo virtus est, & voluntas effectus qui de omnibus quæ sunt, *Dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Volo, (inquit) ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium; tantum non abiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum, credituri sunt in Dei Verbum.]

1032 Quantum præterea in nobis pietatis & gratitudinis sensum, excitare debeat hæc Christi pro nobis aduocatio, diuine omnino expressit Cassiodorus l. de amicitia cap. de Sabatho animæ, his verbis. [Cum ille Angelus transfuga, & emanans, deinde detestabilem peteret ancillatum, Christus litem contra te positam, suam fecit, & post diuersas productiones testium legis, oraculorum, Prophetarum, signorum, prouerbiorum, sanguinem allegauit. Obtinuit allegatio illa, tuæ sententiam libertatis. Super calculo scriptæ sunt litteræ, in membrana corporis crucifixi: & confirmata osculo misericordie & veritatis, iustitiæ & pacis occurrentium sibi. Denique impressum est sigillum, plaga scilicet lateris, quam in pretium redemptionis nostræ, & expiationem nostram continuam, iugiter exhibet ante oculos. Adhuc extat titulus causæ, inscriptus in tantæ charitatis memoriam. Scias quodd si te ingratum reperit, nec velle tanto vti beneficio, exiget à te districtissime mortem suam: verèorque ne quandoque indignantissime tibi dicat, *Tolle manum tuam, & mitte in latrum meum dextrum: mitte digitos in fixuram clauorum, & vide quanta pro te passus sum.* O ingrata, crudelis, impia, non putas Deum de collatis tibi beneficiis penitere, si ea viderit per ingratitude perisse? Saxeus sit quem tantus in nobis aduocationis Christi visus ac fructus, non molliat.

Erīt autem eo certior fructus aduocationis Christi pro nobis, quo quisque vt S. Paulinus ad Aprum quondam Causidicum Epistola 29. aiebat, instructior iure diuino aduocatus, pro se postulat; nec ita externum quæret patrocinium, vt sibi metipse suum denegēt, quod bonis operibus, & meliorum emulatione, præstare ex Dei benignitate potest. Quod spectat quod S. Anselmus in similitud. cap. 74. placitum (*le plaidoyé*) Diaboli contra hominem, & hominis responsa, scite exponit. Neque verò cui hæc aduocatio fructuosa per tempus vitæ non fuerit, expectare debet ab ea commodum aliquod in iudicio extremo, vbi causa iteratò excutietur coram iudice incorruptibili, & veteratore, ac quadruplato nequissimo, nos virgēte: quod S. Augustinus orat, contra Iudæos Artia. & Paga. c. 3. & 4. monstrat pereleganter vt referam sequenti capite.

Nunc claudamus verbis eiusdem in psalm. 66. ad illud, *quoniam iudicas populos in aequitate*, vbi sic habet. [Nemo te fallat. Gaudeat iudicandus, qui timuit iudicaturum. Præuidit enim, & præuenit faciem eius in confessione, ille autem cum venerit, populos in aequitate iudicabit. Quid ibi valebit calliditas accusatoris, vbi est testis conscientia? vbi tu eris & causa tua? vbi iudex non querit testem? Aduocatum misit tibi, propter illum, & per illum consistere. Age causam tuam, & defensor est penitentis, & pe-

nitior veniæ, confitentis, & iudex innocentis. Verè timere poteris causam tuam, vbi Aduocatus tuus, erit iudex tuus? Letentur ergo & exultent gentes, quoniam iudicas populos in aequitate. Sed timere poterunt nē male iudicentur, dent se corrigendos, dent se dirigendos, ei qui videt iudicandos. Hic corrigantur, & non timeant cum iudicabuntur.] En Christum defensorem suæ Aduocationis, simul & iudicem eius qui se in hac vita dignum præstat tali Aduocatione & defensione. S. Gregorius in calce homilie 7. in Ezech. præclare idem docet his præter cetera. [In assiduis fletibus, in quotidiana nostra penitentia habemus Sacerdotem in cæcis qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Iosannem dicitur, *Si quis peccauerit, Aduocatum habebimus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatus pro peccatis nostris.* Ecce exultat animus, cum Aduocati nostri potentiam adiuvimus. Sed exultationem nostram iterum temet mordet timor, quia ipse qui nobis Aduocatus est, dicitur *iustus*. Nos enim causas iniustas nullo modo suscipit, nec verba ducit pro iniustitia defendit. Quid ergo agimus charissimi frautes mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & delicta, & accusamus. Scriptum est, *Iustus in principio accusator est sui.* Quilibet enim peccator conuersus in fletibus, iam iustus esse inchoat, cum ceperit accusare quod fecit. Cur enim iustus non sit, qui contra suam iniustitiam, iam per lachrymas læuit? Iustus igitur Aduocatus noster, iustos nos defendet in iudicio, quia nosmetipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in Aduocati nostri allegatione confidamus. Qui viuūt & regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.]



CAPVT IX.

Christus Fideiusfor.

1034 **C**HRIſTVM quem Apostolus Heb. 7. *sponsorum meliorem nostri Testamenti* appellat, fideiusso-rem nostrum Theodoretus, alique complures accipiunt; & ita intelligunt, vt quoniam nouum Testamentum pollicetur tegnum cælorum, & mortuorum resurrectionem, ac vitam æternam, quorum nihil adhuc visum erat, ideo Christus sponsus melioris Testamenti dicatur quia per suam quidem resurrectionem, spem resurrectionis nostræ confirmauit, ceterorumque bonorum obtinendorum, se veluti vadem nobis ac prædem statuit. Verè hoc quidem dici, non eo inficias. Sed ad Apostoli mentem, non minus appositè dixerit quis, cum Occumētio, & aliis fideiusso-rem, eo loco dici Christum; quia est mediator; id est quia pro nobis satisfact, & debita quibus obstringebamur, exoluit; quod est fideiusso-ri proprium. Exollit enim eo loco Apostolus, noui Testamenti supra antiquum præcellentiam, quæ in gratiæ præstium colla-

tionem, & peccatorum remissione consistit. Huius autem excellentiæ sponsores ac fideiussorem interposito diuino iuramento, ut omnimoda firmitas adesset, factum esse Christum, ait Apostolus. Itaque notio sponsores, siue fideiussoris, quam Christo tribuo, coheret cum Apostoli instituto, estque pressius expendenda.

Varia nostra ad Deum debita; ex delictis præsertim.

Quid verò fideiussor, alienum debitum respicit, deligitque apud extraneum manum suam, supponendum ante omnia est, multiplex esse genus debiti, ut minutius prosequitur Driedo de captiuit. & Redempt. gener. humani tract. 2. parte tertia, cap. 2. art. 2. & Lessius lib. 13. de diu. perfect. cap. 1. Vnum est debitum, quod ex lato per superiorem præcepto nascitur, cui satisfit obediendo. Aliud est, quod oritur ex irrogatione beneficii; & huic facit satis gratiarum actio. Tertium est, quod proficitur ex meritorum quantitate; hoc autem exæquatur distributione proportionaliter iusta, & meritis aquali. Quartum fundatur in contractu; & personarum inter se consentiendum conuentione, ut in emptione, venditione, locatione, mutuo, omnibusque commerciis, vel certe promissione acceptata. Quintum profertur potest, debitum connaturalitatis. Qua ratione, Physici passim docent, proprietates deberi naturæ, & quamdiu dispositiones consentaneæ supersunt, deberi corporibus conseruationem. Sextum debitum consequitur delictum, estque illud debitum, quod exigitur vel ex alieni ablatione, vel ex personæ violatione, vel ex offensione superioris. Huic debito, partim restitutio æquiualeas, partim præstare sumpta satisfactio, & humilis ac penalis subiectio offensæ æqualis, rependenda est.

2035 Omnibus quidem debiti modis propositis, saltem cum debita accommodatione spectatis, obstringimur Deo. Nam & beneficiis innumerabilibus nos præuenit, & mandatis ac legibus, promissisque, & contractu inito, & ex naturæ suæ dignitate ac eminentia, etiam si omnia alia deessent, hoc habet; ut omnis ei à nobis subiectio cultusque debeatur. Verum ex sexto præsertim capite, tot ei obstringimur nominibus, ut iis dissoluendis, impares simus. Peccatum enim quodcumque, est debitum quod contrahimus. Id quod oratione Dominica protestemur, cum dimitti poscimus debita nostra. In quæ verba Tertullianus l. de orat. c. 7. sic scribit, [Debitum autem in Scripturis, delicti figura est, quod perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi seruo dominus debitum remisit. Huc enim spectat exemplum parabola totius. Nam & quod idem seruus à Domino liberatus, non perinde parci debitori suo, ac propterea delatus penes doctum tortori delegatur ad soluendum nouissimum quadrantem, id est modicum vsque delictum, eo competit, quod remittere nos quoque profiteamur debitoribus nostris.] Ad eadem Christi verba Euthymius in c. 6. Matthæi, peccata dici debita confirmat, eo quod peccatum non minus obnoxium reddat hominem, quam æs alienum. Idem habet S. Augustinus serm. 126. de temp.

Theoph. Raynandi de attrib. Christi.

verbis illis, [Debita, (fratres,) peccata intelliguntur, nam debitum contrahitur, quotiescumque delinquitur: quod debitum quandoque solui in gehenna necesse est. Et quia humane fragilitati non deest quotidie vnde delinquit, ideo petimus ut debita nobis, dum sumus in corpore, dimittantur, ne vsque ad nouissimum quadrantem deludamus.] Et serm. 28. de verb. Dom. [Debitum quid est, nisi peccatum? Ergo si non accepisses alieni fœnoris pecuniam, non egeres; & ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua diues nascereris. Diues eras ad imaginem Dei & similitudinem factus: perdidisti quod habebas, hoc est, humilitatem. Dum arrogantiam desideras vindicare, perdidisti pecuniam. Sicut Adam nudus & factus, accepisti à Diabolo debitum, quod non erat necessarium. Et ideo qui liber eras in Christo, debitor factus es Diabolo.] Hæc verbatim leguntur apud S. Ambrosium l. 5. de sacr. c. 4. & vtroque additur de cautione præstita Diabolo, nostrisque penes eum asservato chirographo, ex quo debitores Diabolo teneamur.

Sed hoc, non est ita accipiendum, quasi reuera Satan ex peccato nostro ius aliquod contrahat, eoque nos illi obstringamur, vno aliquo ex debitis superius præpositis. Reuera enim nihil huiusmodi est admittendum sed dicimur debitores fieri Diabolo, cum peccamus, & ideo nostram cautionem & chirographum accipere asseritur, quia debiti quo per peccatum sumus obnoxii Deo, veluti exactio per vexationem & suppliciorum iustam inflictionem, committitur Diabolo, tanquam tortori, cui à iudice Deo mancipantur obærat spiritualiter, ut habet Evangelica parabola. Is autem cui vni tantum creditor obstringimur in omni peccato, Deus est, quia ius eius, & maiestas, peccato quocumque violatur. Quod egregie agnouit Origenes in c. 15. ad Rom. sub finem, ubi tractans mystice illud Apostoli, & debitores sunt eorum, præfatus, debitores factos esse omnes homines per Adam peccatum, rursusque effici debitores, quotquot peccant in similitudinem præuæicationis Adæ; ait, ut hæc debita persoluerentur, data esse homini à Deo præcepta. Sicut autem præcepta illa obedientiam Deo exhibent, ita eundem agnoscere creditorem, nemo non videt. Alioquin dissolutio, qualiscumque tandem sit, irrita esset.]

Immensitas & chirographum debitorum ex delicto.

1036 Quare ratum esto, debiti quod est ex delicto, cum omnes generatim mortales, tum vnumquemque sigillatim, debitorem esse Deo creditori; Et cum tot ac tanta sint præter peccatum originis actualia peccata, necesse est fieri, crescere in immensum, debitorum nostrorum summam. Quod in Evangelica parabola, per ingentem illum numerum decem millium talentorum, expressum est. In quam parabolam S. Chrysostomus hom. 62. in Matth. & hom. 19. ex variis in Matthæum locis, ut ostendat quantopere excreuerint debita, quibus ex peccatis obstringimur, expatiatur in nonnullorum statuum peccata, nominatim militum, & opificum, ac suos agros villicis locantium, tantamque summam inde colligit delictorum, ut concludat

Z Z z 2 stupore

stupore defixus. [Obstupeſce cælum, & perhorreſce terra, in quantam ſeritatem ebacchatum eſt hominum genus.] Impoſſibile ſit exquiſitè inire numerum peccatorum quæ vnus aliquis è vulgo, admiferit intra annos paucos, multoque minùs per totam vitam. Eorum ergo, quæ in vna aliqua vrbe, ab initio conditionis eius patrata fuerint, nulla Algebra multitudinem ſubduxerit. Quid igitur ſi de totius alicuius regni peccatis in vnâ ſummam cogendis, ſuſcipiatur cogitatio? Deſperandus omnino erit euentus. At ſi orbis vniuerſi peccata, quæ vno duntaxat die admittuntur, in vnum veluti falcem conuoluere & cogere, numerando velis, arenæ vniuerſæ quæ Oceani littora cingit, quantitatem longè ſuperatam, ac proinde veluti rem quæ numeris noſtris concludi nequeat numerando, intentatam relinquendam ſanus quiſque pronunciarit. Hinc æſtimari multo magis poterit, immenſus cumulus peccatorum, quæ omnibus retrò ſæculis ac ætatibus, vbiuis gentium & locorum, patrata ſunt, & ad mundi vſque clauſulam patrabuntur. Immetatæ illius ſummæ debitorum, reum debendi erat genus humanum, ea ex cauſa operatum Deo.

Tenebatur à Satana chirographum, conſcriptum primò manu Adami qui primus peccauit, & ſe ac genus ſuum ære illo alieno obſtrinxit: Deinde à ſingulis, quoties peccarunt, adſcriptione noua firmatum. Audi Origenem homil. 13. in Genef. [Sunt quædam litteræ, quas Deus ſcribit, quædam litteræ quas nos ſcribimus. Peccati litteras nos ſcribimus. Audi Apoſtolum dicentem: *delens*, (inquit,) *quod aduerſum nos erat chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens illud cruci ſuæ*. Iſtud quidem quod dicit chirographum, peccatorum noſtrorum cautio fuit. Vnuiſque etenim noſtrum, in his quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati ſui litteras ſcribit. Quia & in iudicio Dei, quod Daniel conſeſſiſſe deſcribit, libros dicit apertos, ſine dubio qui peccata hominum continerent. Hos ergo ipſi nobis ſcripſimus, per ea quæ delinquimus. Huius enim rei & illa imago eſt, quæ in Euangelio dicitur de villico iniquitatis, qui ad vnum quemque debitorem dicit, *accipe litteras tuas, & ſedens ſcribe octoginta*, & cætera quæ referuntur. Vides ergo quia vnicuique dicitur, *accipe litteras tuas*. Vnde conſtat, noſtras eſſe litteras peccati; litteras autem iuſtitie, Deus ſcribit. Ita enim dicit Apoſtolus; *Vos enim eſtis. Epiſtola ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viuus, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*. Habes ergo in te litteras Dei: & litteras ſpiritus ſancti. Si verò delinquas, ipſe tibi conſcribis peccati chirographum.]

Hæc commodior videtur chirographi in ſcripturis celebrati interpretatio. Minùs enim quadrat quod Chryſoſtomus homil. 6. in ad Coloff. chirographum interpretatur, quod Deus Adamo conſcripſerat, dicens, *quacumque die &c.* At vt ipſe ibidem, *ſub finem*, argumentatur, chirographum eius eſt qui ære alieno obſtrinxit, quod conſtat in Deum, reſpectu Adæ, non cecidiſſe. Aptius eſt quod addit, dictum chirographum, illud Iudæorum ad Moſem reſponſum Exodi 24. *quacumque dixit Deus, faciemus*. Sed bene hoc reſellit Theodoretus Coloff. 2. quia chirographum illud, non erat niſi Iudæo-

rum: cum tamen hic agatur de chirographo omnium hominum. [Exiſtimo ergo, ait Theodoretus,] etiam corpus noſtrum appellari chirographum. Per id enim omnes ſceleratas & nefarias actiones ſuſcipimus: per oculos quidem, laſciuè & impudicè aſpicientes: per linguam autem, ea quæ non decet loquentes: per aures pernicioſam doctriinam ſuſcipientes: manibus autem, fortum, vim, & in aliena iniuſionem, & eadem admittentes. Deus ergo ſermo, noſtra ſuſcepta natura, eam ab omni peccato liberam cuſtodit: & deleuit quæ malè à nobis facta ſunt ſcripta debitorum. Cum autem conſeſſiſſet vt ea cruci affigetur, exoluit omne noſtrum debitum.]

*Eorundem debitorum, per nos & patrem
quacumque creaturam in-
diſſolubilitas.*

1037. Tantum verò abeſt, vt debitorum quæ quilibet primò contraxit, diſſolutionem ære ſuo poſſit perficere, & primò illud debitum obliterare, vt potiùs, vſuris in dies creſcentibus, auctior ſemper euadat ſumma; quantum quidem eſt ex vi humane noſtræ poſſeſtatis, ad diſſoluendum ſemel contractum debitum. Quæ ratione, rectè, cum ſenectore, videntur componi peccata: præter rationes quas D. Ambroſius lib. de Tobia cap. 4. proponit; nempe quod vſuræ inferant ſeruitutem, quæ item inferunt peccato: & quod Satan ſcenerator, res animæ, & pretioſæ mentis patrimonium ſcenerans; quodam vſurariæ iniquitatis ſumptus, ſic capiat animas vt ſceneratores ſolent; & auro illiciens, ac reatu inuoluens, caputque pro theſauro reſolens. Ruſſuſque ibidem cap. 10. eandem ob cauſam, ſceneratorem vocat diabolum. [Quis ille (inquit,) peccati eſt ſcenerator, niſi Diabolus, à quo Eua mutata peccatum obnoxie ſuccelloniſ, vſuris deſcendit omne genus humanum.] Denique quaſi malus ſcenerator, chirographum tenuit, quod poſtea Dominus ſuo cruore deleuit. Etenim quod mortis erat ſcriptum apicibus, debuit morte diſſolui. ſcenerator ergo Diabolus.] Et mox. [Quis grauior exactor eſt? Et hoc triſte nomen. Denique Dominus ait, *Populus meus, exactores veſtri circumſcribunt vos*. Et in Euangelio habes: *Dum vadis cum aduerſario tuo ad magiſtrum, ad operam litterarij ab illo, ne forte perducas te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem*. Quis ille ſit exactor ignoſce, qui etiam nouiſſimum quadrantem exigit, & idem ſe creditorem vocat, atque in hoc etiam nomine frandem facit, vt qui veneni pocula melle illinit, vt ſub grato odore mors lateat, atque illita callidis ora vimi fraudis abſcondat. Creditor prætexitur, quaſi fidelis: & quaſi incredulus, ad quem fidelis oppignoratur.] Adam item cauſam eui peccatâ vſuræ dicantur, ſic ſuppeditat S. Auguſtinus in plal. 71. ad illud, *ex vſura & iniquitate redimat animas eorum*. [Quæ ſunt illæ vſuræ niſi peccata, quæ etiam debita nominantur? Vſuras autem appellatas puto quia plor mali inueniunt in ſuppliciis, quàm commiſſum eſt in peccatis. Nam, verbi gratia, cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem niſi nihil eſſe poſſit: ipſius & animæ & corpus perditur in

in gehenna. Propter huiusmodi contemptores presentis præcepti, & irrisores futuri supplicij, dictum est, *Ego veniens cum visuris extirpem.*]

Hæc quidem verè dicuntur, & accommodatè cum ad usurarij genus, tum ad usuræ libem qua supra sortem aliquid ex mutuo accipitur. Sed quod præf. rebam de peccatis infelicitè augentibus summam semel debitam, non minus videtur congruere, ad fundandam eam usuræ denominationem quoad peccata. Nemo enim non nouit, autore D. Gregorio, quàm infelicitata feracitate succrescat, malitia semel admissa: quàmque (quod ex nobis est,) in nouas semper propagines miserè sobolescat.

1038 De impotentia ergo humani generis ad dissoluenda debita peccatorum quibus Deo erat obertatum, debitorum non licet. Idque non de hominibus duntaxat qui fuerunt, sed & de omni creatura pura, diuinitus producta, aut producibili, ratam aequè esse vult Gulielmus Paris. *Leur Deus homo c. 7. sub initium*; vel si de solo primo hominis peccato sermo habeatur; quod in hunc frè modum confirmat. Nulla creatura potuit ex se, siue ex suo, soluere debitum transgressionis primæ. Nihil enim habet nisi alienum & credito vel mutuo concessum: & quicquid habet aliunde habet: proque eo ipso, obstricta est ei à quo accepit. Omnis itaque creatura, & se ipsam, & quicquid habere potest, Deo debet, à quo & se & omnia sua mendicatio tenet. Cuiuscumque autem rei annumeratione, illud tantum debitum solui potest, quò illa debetur. Non potest igitur creatura vlla, per sui ipsius, vel cuiuscumque rei suæ annumerationem, aliud soluere, quàm seipsam, & quæ præterea habet à Deo. Quare prima transgressio, est debitum puræ creaturæ cuiuscumque indissolubile. Hoc ipsum est quod in alia anteriore ratione clariùs dixerat Gulielmus, nempe nullam puram creaturam posse Deo debitum soluere, nisi benedicendo, & Deo aliquid suum exhibendo. Nullam autem puram creaturam, quocumque obedientiæ actus exhibeat, & vel si seipsam reddat, aliud præstare quàm id ad quod tenebatur iure creationis, & accepti illius esse per quod operatur, aut quod exhibet. Non posse igitur soluere vel propriam transgressionem, multò minus alienam. Saluianus introterij ad Ecclesiast, benè hoc & paucis attigit, monstrans quocumque, quantumuis sanctos, esse Deo debitores in multis: ac proinde quocumque Deo dederint, non tam donate, quàm soluere: sed inadæquabiliter, & cum impotentia ad exhauiendum debitum. Plenè actum est, de hac impotentia humani generis, imò cuiusvis puræ creaturæ, ad dissoluendum peccati debitum quo gravabatur, cum de fine aduentus Christi dissereremus. Nunc satis erit illam illustrare insigni loco Procli hom. de Natiuit. Dom. quæ extat tom. 6. Concilij Ephesini c. 7. [Humana natura (inquit,) propter peccata multis obstricta debitis tenebatur; neque quod debebat, vlla ratione dependere poterat. Per Adamum namque omnes peccato quasi chirographum dederamus, omnemque Diabolus in seruitutem redegebat. Etenim corpore nostro, permultis passionibus subiecto, veluti charta vsus, nostræ venditionis pretia ostentabat, passionumque debitum, malignus ille fallarius mi-

nitabundus ob oculos nobis ponebat, ac nos vniuersos ad supplicium condemnationisque deposcebat. Erat itaque alterutrum duorum necessarium: aut vt omnes propter condemnationem præcipites abirent in mortem (omnes enim peccauerant); aut certè vt talis in pretium daretur, cui omnis suppeteret iustificatio ad rescuandum. Atqui homo, quod peccati debito subiaceret, saluare non poterat. Angelus verò quod tantam redemptionis precium ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat. Supererat igitur, vt Deus pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat, atque vnica hæc restabat mali solutio.]

Christus, chirographum nostrum, deleuit ac confudit.

1039 Quod solus præstare potuit Christus, præstitit reip'sa. [Dominus (ait S. Ambrosius lib. de Tobia c. 9.) æris solutor alieni, nihil ipse debebat, qui poterat dicere, *Ecce venit huius mundi princeps, & in me suum nihil inuenit.* Nihil debebat, sed soluebat pro omnibus, sicut ipse testatur, dicens; *quæ non rapui, tunc exolvebam.*] Idipsum Cassiodorus l. de amicitia cap. de charitate, Sabatho animæ, considerandum proponit piæ animæ. [Eras, (inquit,) grauissimo creditori (Angelum Sathana loquor) illi quidem immanissimo exactori, tot debitis, quod peccatis, vinculo chirographi obligata; nec soluendo eras; Dei autem filius non rapuerat, sed quia rapueras, pro te soluit, & quod dignatio propensior, & gratia vberior erat, non delegauit alium debitorem, sed dedit animam suam in causam soluti.] Quomodo nos fuisse Satana obstrictos dicat, expositum superius est. Quod verò per seipsam, non per interpositam personam, confectum à Christo nostrum negotium, & dissolutum debitum nostrum affirmat, & ed pertinet, quod Christus ad satisfaciendum Deo pro nobis, non tantum actiones suas, sed seipsam quoque, & vitam suam pretiosissimam, impendit. Sicque ex eius morte, extitit vita vniuersorum, & in mortuo eius corpore, pretium sufficiens ad obertos omni ære alieno liberandos, & chirographa tradita reposcenda, ac rescindenda inuentum est.

Differit elegantissimè in eam sententiam S. Macarius homil. 1. 1. inducens Christum, cum morte (hoc nomen Satana, in variis Scripturis,) cum Satana inquam, creditore chirographario agentem. Admiratus enim quomodo serpens mortuus erectus à Mose, occideret serpentes, concludit hoc esse symbolum Christi Crucifixi, & morti pro debitis nostris addicti. [In corpore (inquit) mortuus, sita est vita; ibi redemptio ibi lumen, illic Dominus accedit ad mortem & disputat cum ea, imperatque vt emittat animas ab Inferno & morte, easque sibi reddat. Mox igitur his perturbata Mors, pergit ad ministros suos; congregatisque vniuersis Potestatibus, Princeps nequitie repræsentat chirographa; inquiens: Ecce hi paruerunt verbo meo; vide, quomodo coluerunt nos, homines. Deus autem qui iustus est iudex; & illic patefecit infirmitatem suam, aitque illi; obtemperauit tibi Adam, & ob id occupasti vniuersum cor eius; paruit tibi humanitas, hoc autem meum corpus

Z Z z 3 quid

quidam egit illud est à peccato immune. Corpus quidem primi Adæ obligatum est tibi : & ob id, de iusta de causa sunt apud te eius chirographa : at mihi testificantur omnes, quod non peccauerim, neque in aliquod tibi sum obligatus, quodque sum filius Dei, omnes perhibent testimonium. Interferit pleraque ad id Scripturæ testimonia quibus Pater æternus & Baptista, & ipse etiam Satan Christi innocentia sunt attipulati tumpergit. [Tres ego mihi testes habeo, nempe eum qui de cælis vocem emisit, eos qui sunt super terram, & te ipsum. Redimo igitur corpus tibi venditum per priorem Adam. Dissoluo tua chirographa, quia persolui debita. Adæ, dum crucifixus sum, & in infernum descendendi. Præcipio igitur vobis infernæ tenebræ, & mors, emitte animam Adæ inclusam. Et ita paulo post, improbæ potestates, tremebundæ restitunt Adam inclusum.] Non dissimiliter Theodoretus ferm. 10. de provid. exhibet morti insulstantem Christi animam, & iure persoluti debiti chirographique conscissi, eruentem operatos carcere conclusos.

1040 Sic deletum est chirographum. Deletum dicam, an conscissum? Nam conscissum quidem, affirmat Chrysostomus homilia 6. in ad Coloss. Ita enim exponit quod habet Apostolus Coloss. *sustulit illud de medio*: id est, non conseruauit, sed dirupit illud, ac discidit. Possumus etiam dicere, ignibus traditum fuisse, & absumptum admotione flammæ odoratoris quam qua ante annos non ita multos, Reip. cuiusdam opulentissimæ legatus, chirographa immanium summorum auri, quo Rex magnus operatus erat Reipublicæ prædictæ, structa ex cynamomo pyra, intra quam chirographa Rege contuente abdidit, iniecto igne omnia flammis absumenda dedit, excitato inde suffitu, quo Rex nunquam se suauiores hausisse professus est. Igne ergo flagrantissimæ Christi charitatis, & odoratissimo omnium, quæ vnquam in cælum subuecta fuerant holocaustorum nido, re nostra chirographa conflagrunt. Delectio- nis tamen metaphoram, usurpant quoque graues Patres. [Cautionem tuam. Ambrosius lib. 5. de sacram. cap. 4. descrip. b Augustino ferm. 28. de verb. Dom.) tenebat inimicus: sed eam Dominus crucifixus, & suo cruore deleuit: abstulit debitum tuum, reddidit libertatem.] Et in Apologia David cap. 13. *in fine*, [Præclatè Apostolus ait, quia donauit nobis peccata Domini Iesus, delens chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum de medio tulit, affigens illud cruci. Deleuit sanguine ad atramentum Eux, deleuit obligationem hæreditatis obnoxie.]

Apud Anselmum tamen lib. 1. Cur Deus homo cap. 7. Boso aliter accipit Chirographum de quo Paulus eo loco, & ita accipit, ut ad rem præsentem non pertineat. Ait enim. [At si obtenditur, Chirographum illud decreti, quod aduersum nos dicit Apostolus fuisse: & per mortem Christi deletum esse: & putat aliquis per illud significari: quia Diabolus quasi sub cuiusdam pacti chirographo, ab homine iuste ante passionem Christi peccatum, velut vsuram primi peccati, quod persuasit homini, & pœnam peccati exigeret, ut per hoc iustitiam suam super hominem videatur probare: nequaquam ita intelligendum puto. Quippe chiro-

graphum illud non est Diaboli: quia *chirographum* dicitur *decretum*: decretum autem illud non erat Diaboli, sed Dei. Iusto namque iudicio Dei, decretum erat, & quasi chirographo confirmatum, ut homo, qui ipse peccauerat, nec peccatum, nec pœnam peccati per se vitare posset. Est enim *spiritus vaders, & non rediens*: & qui facit peccatum, seruus est peccati. Nec qui peccat, impunitus debet dimitti, nisi misericordia peccatori patcat, & eum liberet ac reducat. Quamobrem per hoc *chirographum*, nullam inueniri posse Diaboli iustitiam in hominis re- xatione credere debemus.] Hæc ibi, quæ non sunt Anselmi, sed Bosonis disputantis: id, quæ facile possunt reici; cum deletio & effusio in cruce, non cadat aptè in decretum Dei, sed in chirographum ab homine conscriptum, quo supposito Deus tulit decretum. Illud ergo chirographum nostrum deleuit Christus.

Etiā vsurarum debitum, à Christo abolitum.

1041 Nec fortis duntaxat, rescissum vel deletum est chirographum, sed etiam vsuratum omnium debita abolita per Christum fidei- forem nostrum: quod pro maximo Dei benefi- cio Psal. 71. fuisse prædictum, sic tradit S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 4. [Magnum & memo- rabile beneficium Dei, specialiter ore Prophe- tico prædicatur, quod in patres contulit, quia ex vsuris & iniquitate, liberauit eos. Et propriè ait. *Ex vsuris liberauit eos*, quia vitæ inferunt seruitutem. Quasi diceret: Ex seruitutis vinculo ereptos, reddidit libertati.] Audi etiam eundem præclarissimè philosophantem in hanc senten- tiam Epist. 18. inter tractandum de duobus debitoribus, eundem feneratori oblitus. [Nemo vocabulum *feneratoris* horrefcat. Fuimus ante sub feneratori dato, qui nisi morte debitoris expleri ac sanari nequirit. Venit Dominus Iesus, vidit nos graui obligatos feneratori, Nemo enim fœnus patrimonii innocentie suæ pote- rat exoluere: & quia de meo, unde me liberarem habere non poteram, nouum genus abolitionis mihi detulit, ut creditorem mutarem, qui fœnus unde soluerem non habebam. Debito- res autem nos, non natura sed culpa fenerator: peccatis autem nostris æra graui contraximus, ut essemus obnoxii, qui eramus liberi. Debitor enim est qui aliquid accipit de feneratoris pecunia. Peccatum verò à Diabolo est: tanquam ergo in eius patrimonio habet impius opes, Sicut enim Christi diuitie virtutes sunt, ita Diaboli opes crimina sunt. Redegerat huma- num genus in perpetuam captiuitatem obnoxia hæreditas graui fenerator, quod obgratus au- tor ad posteros de feneratora successione trans- miserat. Venit Dominus Iesus, mortem suam pro morte omnium obtulit, sanguinem suum pro sanguine fudit vniuersorum. Mutauit ergo creditorem, non euasimus.]

*vsus doctrina, de Christo fideiussore pro
debitis nostris.*

1042 Quo potèr duriore & asperiora sunt, quæ Christus Dominus ad debitorum nostrorum dissolutionem subiit, eo obstrictiores illi & deuinctiores fumus, caditque huc perbellè illud Sapientis. *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris; posuit enim pro te animam suam.* S. Bernardus mellitissimè pro more id expendit serm. de quadruplici debito. [Vis (inquit) scire, quæ & quibus debeas? Primò Christo Iesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua, & cruciatus amarus sustinuit, ne tu perpetuus sustineres. Quid tibi durum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (vt dicitur) vsque ad cubitos in limo profundi: Quid non suaue tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, rememoraberis, primùm quidem illarum infanilium necessitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando: fatigationum in discendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, infidiarum in colloquendo, postremo periculis in falsis fratribus, conuictorum, spurcorum, colaphorum, flagellorum, irisionum, subannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ? O quàm indebita милетatio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, Regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi? Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile? Vix enim pro iusto quis moritur: ipse pro iniustis & inimicis mortuus est, exigens exultatæ cælis, vt nos reportaret ad cælos, amicus dulcis, consiliarius prudens adiutor fortis. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt & qui erunt, nihil esset ad comparationem corporis illius, quod spectabile & stupendum est virtutibus etiam supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentiâ, in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorum? Vides igitur quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltata est vita illa, à vitâ nostra, quæ tamen posita est pro vitâ nostra: Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vitâ nostra, nullam habet ad vitâ illius proportionem, cum illa dignior, ista inferior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus, quia hic deficit omnis lingua, nec sufficit oculus, vel ad intueundum tantæ dignationis arcanum. Cum ergo ei donauero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud sic est, sicut stella ad solem, gatta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad acerrum?]]

Saluianus quoque, initio secundi ad Ecclesiastam, incursurus pudorem iis qui ægrè se agno-

cunt debitores Deo, illud præter cetera egregiè considerat, quo Christus sedemiserit, vt debita nostra exoluere. Vnde vel si omnia alia deessent tantum, tamque grande debitum, existere proficetur, vt sit planè inæquabile cui-cunque creaturæ. [Addo post ista omnia quod idem Dominus qui te primum munere suo genuit, postea etiam passione saluauit, quod propter te, o homo, terram ac lutum, immò exigam terræ ac luti partem rerum vniuersarum Dominus è cælo venit, terras adiit, ex carne pariter, & in carnem processit, humiliatus vsque ad humani exordij pudorem, & pannorum illuuiem & præsepj vilitatem, tolerans indignas se, vitæ istius passionem edendi, bibendi, somnij vigiliarum ægras vicissitudines, & caducæ ipsius conuersationis contumeliosas necessitates: ipsam denique hominum circa se conuersantium fecidam commorationem, populos peccatorum sordentium luto oblitos, semper malæ conscientiæ admittit reos, turpius ex se actum nidorem exhalantes. Et idè cælestium præceptorum incapaces, nec sustinentes sacri fulgoris iubar, quia caligantes peccatis oculos splendor diuini luminis obruebat: nec solum hoc, sed post hæc omnia adeo proteruas superuentis populi contradictiones, adde conuicia, adde maledicta, impiam infestationem, testimonium falsum, iudicium eruentum, irisiones populi, sputa verbera, acerbissimas quidem pœnas, sed indignitates pœnis acerbiores, coronam spineam, aceti poculum, cibum felis, damnatum ab hominibus dominum vniuersorum, pendit nem in patibulo humani generis salutem, Deum terrenæ conditionis lege morientem. Quæ cum ita sint, quicumque ille aut sanctus est, aut sanctum se esse credis, dic mihi quæro, nunquid solui hæc sola possunt, etiamsi nulla alia debeantur? Quidquid enim libet homo pro Deo perferat, solum omnino non potest quod Deo pro homine perpessus est.]

1043 Inuenit etiam illud pendere in omni occasione offendendi Deum, & conculcandi hoc pretium pro nobis datum, quod S. Augustinus orat. de 5. heres. c. 7. ex Catholici nomine; profert aduersus Arianum à quo ad fidem eiuandam sollicitabatur, oblatione pecuniæ. [Aduersatur (inquit) clamat, litigat, pugnat, turbas congregat, contra Christum dimicat. Ille sanguinem fudit, vt redimat: iste pecuniam spargit, vt perimat: speluncam fabricat, illic Catholicum præfocat. Christianum vocat Paganum. Baptizate ingerit Baptisimum, contra id quod scriptum est: *Qui semel lotus est, non indiget denovo lauare.* Clamat homo, Christianus sum: quid me dicis esse quod non sum? Clamat fidelis sum, & ille dicit: Accipe à me pecuniam. Clamat, Redemptus sum: & ille dicit: Accipe à me aurum. Quid das, aut quid auferas? Das pecuniam, vt auferas gratiam: das pecuniam, vt auferas vitam, das pretium, vt auferas quod emptus sum. Quid emis ab empto? Pretium meum non aurum, sed sanguis Christi est: non me seducis, non me decipis, quantumcunque mihi conferas, non mihi tollis pretium meum. Pecunia tua tecum sit in perditionem, pretium meum non habet æstimationem.]

Prospiciendum item omni cura & studio, ne tanto Christi fideiussoris labore, tamque liberaliter pro nobis facta dissolutione debitorum nostro

nostrorum, exsoluti alieno aere, rursus miserè obæremur, quod faciunt, qui Satanæ, per peccata quibus renunciant in Baptismo ubi primum per Christum debita nostra laxantur, iteratò se addicunt, de quo gravissimè & ad Neophytos, & ad antèius illuminatos philosophatur S. Chrysostomus hom. ad Neophytos, verbis illis. [Igitur quoniam nos, tantis bonis agnovimus esse perfunctos, vitam congruam peragamus, & symbola illa atque pactiones quibus sumus constricti, cordibus nostris inhæreant. Vobis proclamo, cautiones vel chyrographa peccatorum nostrorum scinduntur, quia nunc estis recenti lumine illustrati. Sed & vos hac admonitione constringo, quos olim quoque similis beatitudo suscepit. Communis etenim hæc ratio nobis est, idem sermo, communis obligatio: quoniam æquè & fœdera nobis cum illis communia: non attramento, sed spiritus recordatione conscripta: non calamo, sed linguæ puritate firmata. Hoc enim calamo, cum Deo pactiones conscribi consueverunt. Et idè David ait, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribens*. Confessi sumus huius imperium, Diabolicam negavimus tyrannidem. Hoc chyrographum, hoc pactum, hoc symbolum, docetur esse conscriptum: videte ne chyrographario inueniamur iterum debitores. Venit Christus, & paternis nos cautionibus inuenit astrictos, quas conscripsit Adam. Ille initium obligationis ostendit, peccatis nostris fœnus accrevit: ibi maledictio fuit, & peccatum, & mors, & legis condemnatio: & hæc omnia Christus deleuit atque concessit, & clamat Paulus dicens; *Chyrographum peccatorum nostrorum quod erat adversarium, & ipsum tulit de medio, affigens cruci*. Non dixit *deletis*, non *catarractans*; sed *crucis affigens*, ut prorsus eius nec vestigia remanerent: idè non deleuit, sed confecit. Crucis enim clavi dissipaverunt illud, ut in eo nulla de postero remaneret vilitas. Et hoc non in angulo, nec secretim, sed in mundo medio, omnium videntibus oculis, in excelso ligno nexum eius euehat. Inspiciant quidem Angeli, considerent Archangeli, & omni admiratione cœlestes pervideant potestates. Nec adversarios hoc lateat, nec Demones, nec ipsum Diabolum, qui nos debitis obnoxios effecerunt. Scinduntur sub fœneratoribus cautiones, ne nobis in posterum molestiæ præparentur. Quoniam igitur prius chyrographum omnibus viribus ceter, inuigilemus ne nos alia obligatio, altèrque nexus alstringat.]

1044 Non repugnat sibi hic S. Pater, cum hom. 6. in ad Coloss. negat hoc esse chyrographum; atque esse pactum & fœdus. Agit enim de conventionem quam cum Christo inimicus in baptismo, renuntiantes Satanæ: quam rectè negat vocandam *chyrographum*, cum non sit de aere alieno, ut ait. Respectu tamen Satanæ, cui nos debitores statuimus, & obæramus, potest appellari chyrographum. Idque præter Chrysostomum illo alio loco, observavit etiam S. Augustinus oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos cap. 3. consultationem instituens, cœlestium (ut vocat) Iurisperitorum, hoc est Sanctorum Apostolorum, ex quorum vna sententia respondet, pupillo qui ex paterno chyrographo debitor inuentus est reus, atque obstrictus ab adversario detinetur, non aliud

esse capefendum consilium, quàm ut quod fecerunt ipsi, & ipse faciat: renunciet inquam Satanæ, & pompis eius, ne à Christo solutus debitis relabatur in aeris alieni obligationem. Eam consultationem, sic concludit D. Augustinus cap. 4. [Videatis dilectissimi, quam sententiam protulerunt nostri defensores. Vigilet itaque unusquisque, ne non ex toto renuntians post professionem, apud eum Diabolus suos pannos recognoscat: & incipiat semper reus detineri, quem Christus voluit sua gratia liberare. Nec si bi male blandiantur, qui post gratiam acceptam, corrigi nolant, atque rursus ad illas suas pestinas redeunt voluptates. Expectant enim dies iudicii, aderit ille æquissimus iudex, qui nullius potentis personam accipiet, cuius palatium auro vel argento nemo corrumpet. Absunt omnes animæ, ut referat vnaqueque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Præsto enim erit adversarius Diabolus, recitabuntur verba professionis nostræ. Et si talis inuentus fuerit quisque ut debitor ex hac vita migret, exultabit ille adversarius in conspectu serenissimi iudicis, superiorem se esse reclamans, agensque talem causam apud talem iudicem. Æquissimè, inquit, iudex iudica, iustitia & iudicium præparatio sedis tue. Iudica mecum esse, qui tuus esse noluit: meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem, ut quid inuasisti pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiaverat? Quid intemperantia, quid avaritia, quid ira, quid superbia, quid cetera mea? Postremò aquissimè fugientem à me, confugientem ad te, postea cum meis quibus renuntiaverat apprehendi, inuasorem detinui. In ipsa quodammodò mea possessione, à me apprehensus est. Quid enim in circo faciebat, atque tibi furias, lites, infanas voces, inanèque victorias, cum iam à se alienus sibi met videbatur, videbat? Qui in theatro faciebat, renunciator turpium voluptatum? Quid in amphitheatro, crudelitates seuas oculis suis intuebatur? Theaurisavit iram in die iræ. Hæc omnia mea post renuntiationem inuasisti, meus esse voluit & mea concupivit. Iudica, iudica æquissimè, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poterit ne os aperire, is qui post professionem suam talis inuenitur, ut iuste Diabolo addicatur?]

1045 Eo porro cautius hic agendū Christiāno, quod hoc nouo beneficio, multo amplius est in aere Dei, qui creditor est exigens cum vltis sortem concessam, vsque ad nouissimum quadrantem. Pulcherrimè id prosequitur. Hilaber-tus Cœnoman. Epist. 15. [Magnus inquit fœnerator est hic Deus noster, coram eo loquor, importunè vsuras exigit iste creditor noster. Creditor noster est, & durus creditor est. Ille homo quidem qui peregrè profectus est, & ipse plenilunio reuertetur, cum redierit, duplum requirit à te, cum suscepit, centuplo munerabit te. O beatum commercium, in quo nec vsuras exigens, criminis arguitur, nec solvens in aliquo grauatur! O felicem negotiationem, in qua creditor est opportunè importunus, & debitor plusquàm debeat debetur! Proinde timendum est, ne ad iudicium sine venia venias, si (quod ab sit,) negotiandi negligentiam oblivione forte impunitam somnias. Intellige quæ dico: magnæ memorie

moriz est iste creditor noster : penaler obli-
ta es tui, si putes eum oblitum debiti fui. Nihil
obliuiscitur tempore, nihil occupatione: æquè
recolit, & quod hodie præstat, & quod heri
præstitum: quoniam hodie suum est, & heri.
Abest dies & dies, anni & annis sed mille dies
& mille anni ante oculos suos, tanquam dies he-
sterna que præterit. Nunquid ergo non nume-
rabit quantum tibi præstiterit, qui solus denu-
merat arenam maris, & pluuia guttas, & dies
seculi? Nunquid non diuidit in minutias ta-
lenta tua, qui diuisit aquas ab aquis in sapien-
tia sua? Fortassis autem trahes in ius credito-
rum tuum, dum repeter à te commodatum suum?
Intellige quæ dico. Bonus cauidicus est, qui
tecum rationem positurus est. Coram Angelis
referet, veritati deferet, terribilia proferet, hor-
ribilia inferet.]



CAPVT X.

Christus, Sacerdos.

SACERDOTII & Pontificatus ma-
gna est connexio, vt proinde merito
consecratur se sint in nostra tracta-
tione, hi Christi tituli. Nihil quippe
aliud est Pontifex, quam summus sacerdos: &
vtriusque munus est, assistere populo in iis quæ
sunt ad Deum, & offerre dona & sacrificia pro
peccatis. In Pontificatu tamen, supra sacerdo-
tium includitur potestas, ad multa cultui diui-
no, & animarum bono necessaria, quæ sacerdo-
tio simpliciter dicto, non continetur. Quare
de sacerdotio prius agendum. Et quamuis ha-
beamus in lege noua alios ordines, & alia Ec-
clesiastica munera sacerdotio præuia, nimirum
quatuor vt vocamus minores Ordines, & duos
sacerdos, Subdiaconatum inquam & Diaconatum,
possetque in dubium verti, an & quatenus il-
lorum in se ordinum rationem Christus ex-
presserit, tamen non harebo in eo; tum quia
difficultate vacat, tum quia nisi per analogiam
aliquam expediri potest. Qui verò in eam rem
plura vult, adeat Stephanum Heduensem lib.
de sacram. alta. cap. 6. & 8. & Hugonem Victo-
rinum lib. 2. de sacram. fidei p. 1. a. cap. 6. Flo-
rum Magistrum in expositione Missæ. Ex recen-
tioribus, Vasquem 3. p. d. 242. c. 7.

Christus in via, verè Sacerdos, in natura
tantum humana.

1046 A sacerdotio igitur auspicando, sta-
tuendum est vt certum ex fide, Christum verè
& propriè fuisse sacerdotem, non eam tantum
generali natione, qua omnes qui Deum rectè
colunt, sacerdotes interdum dicuntur, vno ali-
quo ex decem illis sacrificiis larè dictis quæ S.
Chrysostomus enumerat in Psal. 95. sed illo
propriè accepto sacerdotio, quod à propriè ac-
cepti sacrificij actu petitur. Quaratione, Chri-
stum fuisse in hac vita sacerdotem, negauit nu-
per quidam Paulus Socinus Senensis, ex Italia,
(vt alij eiusdem furoris complures,) ad captan-
dam effrenatione, libertatis Christianæ specie
Theoph. Raynandi de Attrib. Christi i.

obductam, transfuga in Bataniam & Poloniam.
Eius hæc teretissima fuit blasphemia, Christum
in terra non fuisse sacerdotem, nec vllum pro
nobis obtulisse sacrificium, sed sanctè hic ac-
piè viuendo, promeruisse fieri in cælo sacerdo-
tem, ac Christum; cum ad punctum vsque col-
lati in cælo sacerdotij, nominandus tantum
fuerit Iesus à Nazareth. Annuitur autem idem
Sectarius, stabilire exitiale hoc dogma, ex Apo-
stolo: qui ad Hebr. 8. ait de Christo. *Omnis Pon-
tifex ad offerendum munera & hostias constitui-
tur. Unde necesse est, & hunc habere aliquid quod
offerat. Si ergo esset super terram, nec esset sa-
cerdos, cum essent qui offerrent secundum legem
munera.* Addit & illud, ex c. 9. eiusdem Epi-
stolæ. *Christus assistens Pontifex futurorum bo-
norum per amplius & perfectius tabernaculum
non constructum, idest non huius creationis &c.
intrauit semel in sancta, æterna redemptione in-
uenta. Et inferius. Non in constructa sancta le-
sus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum
caelum, vt appareat nunc vultui Dei pro no-
bis.*

Verum hæc loca nihil minùs probant quàm
id ad quod assumuntur. Apostolus enim his lo-
cis, docet quidem Christum nunc in cælo age-
re pro nobis sacerdotem, offerendo Patri per
iugem præsentationem, & commemorationem,
sacrificium cruentum semel oblatum in crucis;
& Patri item offerendo, ad modum primarij
sacerdotis, quotidiana sacrificia inuenta, quæ
in terra donec reueniat, offeruntur. Negat item
his locis Apostolus, Christum esse sacerdotem
super terram: idest quales erant Atonici tem-
plum Salomonicum frequentantes, eique alligati:
ad hoc enim necessarium non erat, Chri-
stum esse sacerdotem, cum essent plerique qui
exemplati & umbræ deseruiant fumorum.
Hæc prædictis locis tradit Apostolus. Non ne-
gat tamen, Christum in terra fuisse verè &
propriè sacerdotem oblato nobis sacrificio verò
& propriè dicto. Imo id diligenter proequitur
ea ipsa Epistola ad Hebr. à cap. 5. ad 10. vt mox
declaramus, expenso Christi sacrificio. Innu-
meras alias in hanc rem Scripturas, Patrum in-
terpretatione firmatas, adhibet Iosephus à Co-
sta lib. 4. de Christo reuel. c. 3.

1047 Statuendum insuper est, Christum
non fuisse sacerdotem secundum naturam diui-
nam qui fuit error Artianorum. Nam sacerdo-
tem, constat inferiorem esse, eo quem colit per
sacrificium quod offert. Si igitur Christus in
natura sua diuina esset sacerdos, filius in diuinis
esset minor patre; quæ est Artianismi blasphe-
mia, quam in hac parte Eusebio impingit Tur-
rianus in defensione libri 8. Constit. Clemen-
tis cap. 46. eo quod in præfatione libri decimi
de demonstratione habeantur hæc verba. [In
dispensatione, alia sunt quæ ad Christi diuini-
tatem, alia quæ ad assumptam humanitatem
pertinent. Alias enim induci solet tanquam &
Dei Verbum, & Dei virtus, & Dei sapientia:
item magni consilij Angelus, magnusque &
æternus Pontifex, quod vt omnia quæcumque
genita sunt, & sint id quod sunt & in eo con-
seruentur, dum sacro munere fungitur, Pa-
trem suum exorat. Alias autem tanquam &
Agnus Dei, qui tollat peccata mundi, & o-
nis quæ ad cadem ducatur. Hoc autem fuit
ipsum humanum corpus, quod ille instat agni
A A A a atque